

29471.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

SISTENS PRODROMUM

MYOGRAPHIÆ INFANTIS,


QUAM

UT GRADUM DOCTORIS MEDICINAE IN
UNIVERSITATE DORPATENSI RITE
ADIPISCATUR,

CONSENSU ILLUSTRIS MEDICORUM ORDINIS IN
HAC UNIVERSITATE.

DIE XXI. NOVEMBRIS MDCCCLIII. HORA X.

IN AUDITORIO PUBLICO DEFENDET



AUTOR

NICOL. FRIDER. LEOPOLD. DE JÜNGLING,

ARTIS MEDICAE MAGISTER.

D O R P A T I,

LITERIS MICHAELIS GERHARDI GRENZII,

TYPOGRAPHI ACADEMICI.

Prooemium.

Jam veteribus corporis humani incisoribus persuasum erat, notionem structurae infantis non solum peramoenam, verum etiam perutilem esse, cum nempe tam multi interni externique morbi, ob diversam structuram fere omnium partium, aliter in infante se habeant, quam in adulto, indeque alia methodo medendi egeant. Sic inter plures veteres anatomicos Empedoklem Philosophum scholae pythagoreae, praecipue iam anatomiam infantis tractasse videtur, varia enim de ortu musculorum, ligamentorum (*νευρα*) ossiumque proposuit, atque primus intimam, foetum includentem tunicam, amnion appellavit.

Plura tunc circa hanc materiam a Gabriele de Zerbi, Arantio, Fabricio ab Aquapendente, Hieronymo Capivacio, Eyssenio, Kerkringio etc. ut notissimum est, elaborata sunt.

Certiora denique autem recentioribus aetatibus a Schurigio, Cassebohmio, Treuio, Hallero, Wrisbergo, fratribus Roesleiniis, Danzio, Blumenbachio, Sömmerringio, Senfio, Autenriethio Rosenmüllero, multisque aliis in scriptis suis praeclaris prolata sunt.

Cum autem nunc in eo sit, ut secundum statuta nostrae universitatis, priusquam gradum doctoris accipiam, specimen quaecunque edere jubear, brevem descriptionem nonnullorum musculorum infantis, praecipue differentium, proponere adnissus sum, cum saepius in universitate Jenensi, atque Vindobonensi occasio mihi fuerit, infantum neonatorum et foetuum corporum dissectorum, sicque differentiam structurae oculis usurpandi.

Minime cæterum ablandior me multa nova hoc in prodromo dicturum esse, quod etiam nemo a tironi scientiae anatomicae postulabit,

sicque placido lectorum iudicio has pagellas interim submitto, dum continuato studio, magisque experientia edoctus, prolixius hanc materiam elaboratam forte proponam.

§. I.

Uti omnes fere partes infantis, quo iunior est, maxima ex parte, ex gelatina quasi tantum constant, sic etiam apud musculos res se habet.

In primis tres mensibus post conceptionem, musculi, ut strata mollis gelatinæ ¹⁾ vix colore subflavo ²⁾ apparent, atque primo intuitu difficile in tenuioribus musculis, e. g. colli, a tendinibus iam praesentibus distinguuntur. Distincte autem in maioribus musculis e. g. gastrogne-miis, flexoribus extensoribusque digitorum, manus et pedis conspiciuntur.

Sequentibus mensibus textura musculorum fibrosior, magisque rubicundior evadit.

Maturo in infante, scilicet novem mensium, molles et quamquam maiori quantitate vasorum,

1) Loder's anatom. Handbuch 1788. T. I. p. 442.

2) Sömmerring Muskellehre, pag. 3.

sanguineorum quam in adulto sint pertexti, tamen pallidiores adhuc sunt.

Verosimile etiam videtur, quod Albinus 3) Haller 4) Isenflamm 5) et plures dixerunt, plus substantiæ muscularis, quam tendinosæ, ratione adulti adesse, quod alii e. g. Sömmerring 6) negavere. Magis plane etiam cum tendine suo nonnulli muscoli e. g. supinator longus, gastrocnemii juncti sunt 7) cum in adultis eminentia magis efficiatur 8).

§. 2.

Tendines qui minime ut Boerhave, Douglass. Albinus, Mayer, alique credidere, alii contra ut Murray, Moscati, Wrisberg, Sömmerring, Mekel, Isenflamm, Knebel, negavere, ex fibris muscularibus induratis formantur, iam primis mensibus adsunt, ob minorem quantitatem materiæ fibrosæ au-

3) Historia musculor. Leid. p. 57.

4) Grundriss der Physiologie, p. 297.

5) Beiträge für Zergliederungskunst. T. I. 2. Heft. p. 295.

6) Note zu Hallers Grundriss der Physiologie, p. 297.

7) Isenfl. & Rosenmüllers Beiträge. T. I. 2. Heft. p. 297.

8) Sömmerring Muskellehre, p. 50.

tem, maioremque vasorum sanguineorum quantitatem minus albidam, quam in adultis apparent, postea autem magis accedente materiæ fibrosæ color argenteus albidus, sublucidus eis conciliatur, sicque perfectiores evadunt.

Superfluum esset cæterum argumenta opinionum autorum circa ortum tendinum hic adducere, cum iam prolixè Danz 9) ea adduxerit, cumque propositi ratio mihi non permittat.

Musculorum extensorum digitorum manus et pedis tendines, magis sunt cylindracei, in adultis contra magis plani 10).

Ossa sesamoidea ordinarie occurrentia cartilaginea animadvertuntur 11).

Quod ad partes constitutivas tendinum attinet, me scio hucusque dissolutio chemica defecit, atque tantum dissolutione physica a nonnullis instituta 12) certiores sumus reddituri, eos

9) Zergliederungskunde des ungeb. Kindes. T. II. p. 6.

10) Isenfl. Rosenm. Beiträge. T. I. 2. H. p. 298.

11) Danz Z. d. u. K. T. I. pag. 236. p. 244.

12) Knebel, Augustin Entdeckungen etc. 1793. p. 22.

Isenfl. Rosenm. Beiträge: T. I. H. 2. p. 287.

ex tela cellulosa, glutine, magnaue ex parte materię fibrosę constare.

§. 3.

Bursę mucosę iam in neonatis inveniuntur, atque respectu proportionis maiores quidem sunt, at incertiores, variabiliores, numerosioresque. Hinc etiam disquisitio earum facilius in corporibus iuvenilibus instituitur, quia non tam firmiter aliis partibus adnexę sunt ¹³⁾.

§. 4.

Inter musculos capitis et colli præcipue hos sequentes musculos differre, tam utores anatomici adducunt, tam etiam propria sum edoctus experientia. Reliqui enim, præcipueque auri internę, fere uti in adultis iam perfecti inveniuntur.

Musculum obliquum superiorem oculi s. trochlearem, qui tendine suo trochleam cartilagineam ossi fronti adnexam transit, atque bulbo oculi, uti reliqui muscoli adfixus est, tendine tenui multumque rubicundo in corpore infantili virili sex septimanarum inveni.

13) Alex. Monro Abbildung und Beschreibung der Schleimfäcke. Ausgabe von Rosenm. l. eip. 1799. p. 13.

Omohyoideus, ut stratum musculare continuum, non in medio, uti in adultis, tendine divisum primo intuitu apparet, at, præcipueque in infantibus nonnullorum annorum, subtiliori disquisitione tendinem at imperfectum, rubicundiorumque reliquis adesse plures viderunt ¹⁴⁾.

Sic etiam biventrem cervicis, ob tendinem in medio ventros carneos iungentem, biventrem appellatum, in puero sex septimanarum, ut stratum musculare continuum inveni, interim autem non differentiam forte constantem, sed magis individualetantum esse credo, cum in adulto etiam interdum ventri huius musculi fibris muscularibus cohæreant ¹⁵⁾ atque nullo in compendio anatomico hanc differentiam hucusque adnotatam legam.

§. 5.

Partem tendineam musculosamque diaphrag-

14) Sömmerring Muskellehre, p. 97. Hildebrandt Anatomie. T. II. p. 13. Isenflamm Rosenm. l. c. T. I. 2. H. p. 295.

15) Albin. hist. muscular. Leid. p. 359. Sömmerring Muskellehre, p. 163. Isenfl. l. c. p. 298.

matis non partem contiguam, sed potius continuam esse, multi veteres anatomici, imo Albinus, Haller, quodammodo se observasse dicunt, sed, quod iam Leuwenhœk et Muys oculo armato viderunt, omnino sunt partes diversæ, et fibræ tendineæ musculosis, et vice versa musculosæ tendineis intercalatæ quasi tantum sunt.

In fœtu decem septimanarum Wrisberg diaphragma, membranulæ instar, tenuissimum pelucidum ut vix muscularis distingui possit fabrica, ¹⁶⁾ vidit.

In fœtu contrario trium mensium eleganter expansum validum tensum, distincteque muscularem tendineamque partem diversam invenit ¹⁷⁾, quod in fœtu sexus sequioris quatuor mensium, magisque in fœtu sexus potioris sex mensium pulcherrimi vidi.

In neonato omnes partes diaphragmatis uti in adulto optime apparent, dextra autem eius pars magis quam in adulto versus cavum thoracis ob magnitudinem hepatis pressa est.

¹⁶⁾ Descript. anat. Embryonis, p. 24.

¹⁷⁾ I. c. p. 26.

§. 6.

Musculi recti abdominis, inscriptiones sic dictas tendineas, fortiores et latiores ratione fibrarum muscularium habent. Hypothetice forte assumere quis possit, eos aliosque musculos abdominis se contrahere, ad quam contractionem forte diastole arteriarum umbilicalium irritari, ne, si non compressio quædam in viscera abdominalia forte fiat, stagnatio sanguinis in hepate oriatur. Forte autem situ curvato fœtus in utero hi muscoli comprimuntur, sic ut hac ex causâ tendineæ inscriptiones latiores evadant. ¹⁸⁾

§. 7.

Linea alba inter musculos rectos sita, connexionemque aponeurosis musculorum obliquorum descendantium, transversorum, duarumque laminarum, obliquorum ascendantium oriens, dum ex duobus lateribus conveniant, hacque in linea se misceant, et decussent, sicque hanc lineam

¹⁸⁾ Isenfl. über Flechsen: Beiträge etc. T. I. 2. H. p. 297.

forment, in medio circiter foramen circulare curvatis tendineis fibris circumdatum, annulus umbilicalis, nominatum habet, quod vasa umbilicalia transeunt. Delapso funiculo umbilicali autem evanescit, dum fibræ tendineæ se contrahunt 19) vel, ut minus verosimile Mayer putat, massa tendinosa ligamentosaque repletur 20).

§. 8.

Musculi pyramidales abdominis, sæpius in uno vel altero latere, interdum in utroque latere deficientes, atque non semper sibi æquales, maiores sunt, quam in adultis.

Verosimile ad vesicam urinariam repletam, et ex angusto cavo pelvis prominentem, evacuare iuvant 21).

19) Loder anat. Handbuch. T. I. p. 585. Hildebrandt Anatomie. T. II. p. 129.

20) Beschreibung des m. K. 3. B. p. 273.

21) Sömmerring Muskellehre, p. 131. Danz I. c. T. II. p. 13.

§. 9.

Musculi cremasteres five levatores testiculorum, in foetu, apud quem testiculi in cavo abdominis adhuc siti sunt, retrorsum per fissuram s. annulum abdominalem, funiculum spermaticum usque ad testiculum ut fasciculi concomitari videntur 22), et forte descensum testiculorum in scrotum promovere iuvant 23).

§. 10.

Musculos partium generationis in utroque sexu valde graciles inveni.

§. 11.

Inter musculos extremitatum superiorum, qui ratione proportionis perfectiores sunt musculis extremitatum inferiorum 24) anconeus quartus forte enotatus est. In corpore sexus

22) Loder I. c. p. 540. Sömmerring I. c. p. 189. Danz I. c. p. 14.

23) Sömmerring I. c. p. 189.

24) Sömmerring Note bei Danz I. c. p. 14.

virilis decem septimanarum neonato ab Ifenflammio maiores visi sunt 25).

§. 12.

Tendo musculi recti femoris, qui a spina anteriori inferiori cristæ ilei oritur, teres multumque est fortior altero tendine, qui margini acetabuli firmatus est, imo analogon ossis sesamoidei in adultis continere videtur 26).

Apud infantes contra tenuiorem mollioremque sensu percepi.

§. 13.

Musculum subcruralem s. articulare genu, quem non in omnibus subiectis præsentem observamus, quemque ad tensionem membranæ capsularis tantum destinatum esse videtur, bis Ifenflamm, nempe in puero decem septimanarum et in neonato puero fortiorem quam in adultis invenit, atque in omnibus infantibus sic

25) Beiträge. T. I. 3. H. p. 372.

26) Ifenfl. Rosenmüller Beiträge. T. I. 2. H. p. 300.

se habere forte et diu remanere putat Cum nempe patella tota cartilaginea sit, diuque sic remaneat, hincque minus in extensione inservire potest, uti ossa in adultis inservit, necesse est, hunc musculum fortiorem in infantibus adesse 27).

§. 14.

Plantaris, interdum deficiens, tendine non ad plantam usque, nequidem in foetu pertinens 28) actioneque sua forte membranam capsularem intendens 29) in infante tendine rubicundo gaudere inveni.

§. 15.

Abductor denique digiti minimi in infantibus præsertim, et aliis ante calceorum usum

27) Ifenfl. Rosenmüll. Beiträge. T. I. 3. H. p. 371.

28) Albin. historia muscul. Leid. p. 560. Courcelles Icones muscul. plantæ pedis etc. Amst. 1760. p. 11.

29) Sömmerring Muskellehre, p. 296. Hildebrandt Anatomie. T. II. p. 295. Ifenfl. l. c. p. 371.

melius cernitur, quam in adultis et provectioni-
bus ætate, apud quos actio eius etiam ob com-
pressionem calceamentorum non observatur 30).

30) Courcelles l. c. p. 32.